DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ASTHMATE SPASMODICO.

13

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ASTHMATE SPASMODICO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

STEPHANUS LAURENTIUS O'BRIEN,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. EXTRAORD.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

Necessitas urget, non cacoethes scribendi.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1807.

VIRO EXIMIO,

JOANNI CALLANAN, M. D.

DE CORCAGIA,

SCIENTIAM MEDICAM

SUMMA CUM BENEVOLENTIA, SIBIQUE HONORE

EXERCENTI,

VIRTUTIBUS,

MORUM URBANITATE,

INGENIO ET LITERIS HUMANIORIBUS,

ORNATO;

HANCCE DISSERTATIONEM ACADEMICAM,

OB BENEFICIA IN SEIPSUM COLLATA,

SED PRÆCIPUE

OB CURAS EJUS PERLONGAS, SED EHEU! INANES

ERGA PATREM SUUM CARISSIMUM,

CUM MORBO LETHIFERO CONFLICTANTEM,

GRATI ANIMI

SINCERUM, QUAMVIS PERTENUE

TESTIMONIUM,

D. D. CQUE

STEPHANUS LAURENTIUS O'BRIEN.

NECNON

THOMÆ GIBBINGS, M. D.

QUI

ARTEM HIPPOCRATICAM

SUMMA PERITIA ET REIPUBLICÆ COMMODO

DIU FELICITER EXERCUIT

EXERCETQUE,

OB

AMICITIAM ET BENEFICIA,

QUIBUS SE, SUOSQUE OLIM

DIGNATUS EST;

PAGINAS SEQUENTES,

ANIMI

PLURIMUM DEVINCTI

INDICIUM,

D. D. DQUE

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ASTHMATE SPASMODICO.

ASTHMA spasmodicum aliquandò morbus hæreditarius est, omni sexui et cuicunque temperamento comitem sese adjungens. Mares quàm fœminæ ad eum proniores sunt; et illi, qui sanguineo, potiusquàm quovis alio temperamento sunt præditi, in majore periculo versantur; rarò autem, donec post ætatem pubertatis, aliqui corripiuntur.

In paroxysmorum formâ occurrit; hique ad tempora metita aliquandò suos ingressus

faciunt. Accessio ejus prima subitanea est; sequentes, utcunque mali ominis, signa tam multa præmittunt, quanta, asthmatico experto, ad hostis adventum, certamenque futurum designanda, sufficient; languorem, nempè, lassitudinem, animi pervicaciam, quæ frontem explicari nunquam sinit, et amicorum assiduitatem usque repellit; symptomata dyspeptica, abdominis scilicet distensionem, flatum, ructus frequentes, cum obtuso et gravi dolore super oculos, tussique curtâ, siccâ et durâ. Tales sunt præcursores, qui, sub mediam noctem, miseriæ horam ægro, indicant. Si aliquid sit, quod ad hujus morbi angores additamenta ulla præbere possit, impetus nocturni primo loco sunt numerandi.

Ex somno ejus molesto expergiscitur asthmaticus cum magnâ anxietate et suffocationis sensu, dyspnœâ, pectoris stricturâ, atque, inter respirationem, sono strepente. In situ horizontali haud diutiùs remanere potest; sed in lecto sedet erectus; aëris liberi sese indigere jam percipit; quem intromissum per fenestras

fenestras apertas, musculorum respirationis auxiliariorum nixibus validis, quàm profundissimè inhalare nititur. Loquela difficilis aut impossibilis evadit. Tussis adhuc dura, sicca et dolentissima, et non nisi difficillimè efficienda. Sub hoc tempore, urina plerumque redditur copiosè, sed coloris expers. Stragulæ vel levissimæ, super pectus, aut circa caput, tolerari nequeunt. Vultus, cui insidet anxietas extrema, ferè pallidus est, plerumque Hippocraticus. Caput et collum humiditate levi irrorantur, extremitatibus frigidis. Aliàs utcunque incalescit corpus, cum urgenti siti, pulsu frequenti, parvo, sæpèque abnormi. Talis est series usitata, in quâ paroxysmi asthmatici indicia sese manifestant. Sed in hoc, æquè ac in omni alio morbo, qui in nosologiâ comprehenditur, a regulâ generali aberrationes aliquandò insignes occurrunt.

Inter horum symptomatum violentiam, mortis adventum, dubii plenus, spem inter et terrorem, præstolatur æger: quasi ex malis haud ultrà tolerandis refugium unicum. Sed lan-

guescat

guescat diu forsan necesse est, priusquàm advenerit hora præstolata: Quæ raró accidit donec superveniat morbus alius, citiùs lethalis, quando natura, jam nimìs exhausta ad certamen diutiùs sustinendum, victam sese præbet, et in sopore subsidet sempiterno.

Postquàm continuaverit paroxysmus, quoad res circumstantes tempore incerto, remittere incipiunt symptomata; respiratio plenior et minùs laboriosa fit, tussis liberior evadit, et cum expectoratione, plùs vel minùs copiosâ, comitata. Crisis hæc fausta ægrum nostrum, jam plurimùm fatigatum, somni tranquilli et reficientis amplexibus, diluculo appropinquante, tradit. Cum sono nonnihil strepente adhuc perficitur respiratio; neque ex toto strictura circa pectus adhuc removetur. Hæc remissio utcunque perbrevis est; nam advesperascente, apparent exacerbationis signa, quæ eâdem pene horâ ut anteà, cum spirandi difficultate incipit, similemque cursum ac nocte proximè præteritâ per tres, aut quatuor noctes, ordine currit; donec expectoratione magis

magis copiosâ superveniente, intermissio perfecta occurrit, quâ progrediente, urina augetur, subrubida fit, atque sedimentum deponit. Omnia corporis munera denuò probè perficiuntur; hilaritatem suam pristinam recuperat æger, atque iterum, pro ratâ parte, sese felicem sentit.

Paroxysmorum asthmaticorum variat duratio: Sub primum ingressum magis regulares sunt, et recurrunt aliquando ad intervalla penè semper statuta: Intermissionibus diuturnioribus, paroxysmis curtioribus. Morbo utcunque provecto, frequentiores fiunt, et, quod ad durationem attinet, magis abnormes. Intermissiones abbreviantur, donec, tempore volvente, in consuetudinem abit dyspnœa, de tempore in tempus exacerbata.

Pauca mala, hoc citiùs, corporis extenuationem diram, et debilitatem, cùm universâ penè motûs jacturâ, inducunt.

DIAGNOSIS.

TAM lucida et concinna est præclari CULLENI de hoc morbo definitio, ut vix aliquid ampliùs necessarium sit ad asthmatis signa characteristica indicanda, quàm Doctoris ipsius verba citare, quæ jam sequuntur: "Spirandi difficultas, per intervalla subiens, cum angustiæ in pectore sensu, et respiratione cum sibilo strepente. Tussis sub initio paroxysmi, difficilis aut nulla, versus finem libera, cum sputo muci sæpè copiosâ."

Hydrothoracis et conformationis pravæ dyspnœa, utpote *continua*, ab asthmate facilè distinguitur, ex eo quòd per *intervalla* subit. *Pyrexia insignis* comitatur cynanchen trachealem, remissione nullâ manifestâ; pueros solummodò invadit, prætereàque ab omni alio morbo, *tussi clangosâ* facilè disgnoscetur. Ejus hysteriæ, quæ asthmatis symptomatica est, haud difficilis erit diagnosis, ægri si historiæ prægressæ attentio cauta habeatur.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

Sub hoc capite nobis in animo est, causas prædisponentes, et occasionales, vel excitantes, enumerare.

Prædisponentes.—Gregorius noster causas prædisponentes, in pulmonum et musculorum respirationis conformatione speciali consistere suspicatur. Morbum hæreditarium esse, haud dubitat; sed quarè maturiùs non sese ostendat hæc prædispositio, quæ sit natura ejus, vel undè translata, a patre aut a matre, non dicit. De his etiam, omnes penè auctores, quantùm mihi innotuit, planè silent. Sed, asthmaticum stamina morbi semper eo modo a parente corripere; vel asthmatis semina, a parente in prolem suam ita semper disseminari, non omninò certum est: Quia, inter omnes hoc morbo correptos, haud rarò quosdam invenimus, in quibus nulla labes hæreditaria, post investigationem accuratissimam, detegi potest;

potest; sed, quorum morbus, nullâ prædispositione apparente, causis excitantibus liquidò referri possit. Prætereà, indiès, consumuntur multi ab hoc morbo, quorum inter liberos, vel nepotes, nunquam adhuc serpsit contagio. Temperamentum sanguineum, plerique auctores malo viam sternere suspicantur.

Excitantes.—Res admiratione digna est, quod in hac affectione causæ, maximè sibi invicem oppositæ, in diversis hominibus paroxysmum excitabunt. Sub cœlo, quod alteri suffocationem penè induceret, alius sine incommodo respirare poterit. Inter has causas, aëris vis plurimùm valet. Johannes Floyer, Baronettus, dum Londini, et in regionibus Hollandiæ planis versabatur, dyspnœæ magis immunis fuit quàm rure, ejusque aëre purissimo pastus. Doctor Bree paroxysmo semper afficiebatur, inter solum natale visendum, partes maximè elatiores comitatûs *Warwickii.* Hujus rationem reddit Doctor, ex eo quòd, in regionibus altis, aëris densitas sit minor, oxygeniique,

oxygeniique, quantitatem parciorem, in aëris mole datâ, offerat. Effectus gravitatis diminutæ aëris a Saussure benè investigati fuerunt; qui, cùm ascenderet montem in Helvetiâ, dictum Mont Blanc, dyspnœâ multùm et vertigine vexabatur.

Tempestatis mutationes subitæ, a calidâ ad frigidam, et vice versâ; conclavia nimis stipata; lecti aut balnei tepidi calor, in quibusdam hominibus, paroxysmum efficacissimè inducunt, utì Floyero contigit, qui ex frigore, aut in hyeme, rarò suum impetum fecisse morbum suspicatur, nisi catarrho supervenientem. Hoffmannus utcunque, totidem verbis contrarium asserit. Nihil certiùs, ex ejus sententiâ, paroxysmum excitat, quàm tempestates brumales, ventique septentrionales frigidi. In vere et autumno latiùs pervagari ait, præcipuèque in tempestatibus calidis, quas venti orientales et cæciæ comitantur; et quando ex gelatione ad degelationem mutationes subitæ frequentes erant. Doctor Bree ait, aërem siccum et haud perturbatum minùs aptum esse,

 ad

ad eum inducendum, quia vaporibus vacat, et majore vi resiliendi premens, pulmonum vesiculas contra parietes suos extendit; quæ, exinde, superficiem ampliorem aëris actioni explicant. Pulvis in aëre innatans pulmones sanissimos irritabit; ideòque, eos, qui ad morbum proclives sunt, vel ex consuetudine, vel labe hæreditariâ, certiùs afficiet. Fumi et odores diversi paroxysmum excitare etiam existimati sunt. Quodcunque ad circulationem per pulmones accelerandam inservit, exercitium nempè violentum, ascensus acclivis, paroxysmum inducent. Paroxysmi flatu inducti ratio reddi potest, ex sympathiâ, æquè ac ex principiis mechanicis. Ex principio mechanico, ut opinor, cur horizontalis positio paroxysmo excitamentum præbeat, rationem reddere possumus. Floyerus per plurimas noctes paroxysmo occurrere solebat, nocte, in situ erecto, in cathedram, peractâ. Capitis vulnera inter hujus mali causas memorat Morgagnius; cujus ex meâ sententiâ, in Nosocomio Edinensi, mense Aprilis 1806, exemplum insigne habuimus,

mus, quo tempore, prælectiones clinicas excellentissimas legebat Doctor Home. Mulier (*Margaret Monro* nomine) postquam aliquo tempore cerebri compressione laborâsset, primo, sanguinis missione topicali, et generali, et, ni fallor, deinde stimulantibus, ad sanitatem restituta, asthmate spasmodico, paroxysmis meridianis, posteà correpta est, ullâ sine aliâ ratione, cui attribueretur, præter hanc jamjam memoratam. Quoad morbi causam proximam, a me, qui, inter medicinæ discentes adhuc versor, expectari vix potest, ut, huic rei, tam inexplicabili, aliquam novam lucem affunderem. Sed mihi sufficiet probatiorum verba proferre auctorum.

Bronchiarum constrictionis spasmodicæ doctrina, aliquo tempore, theoria pervulgata fuit. Sed noster cel. Professor Monro, in hoc canali, nullum talem spasmum, qualem hujus mali phænomenorum rationem redderet, obtinere posse, discipulis suis, dilucidò demonstravit. Sin verò, eo loci, etiam obtineret spasmus, quì fieri posset, ut aëris pressuræ, ab extrinsecùs,

trinsecùs, et respirationis musculorum vi, resisteret? Prætereà, ex experimentis, in animalia viva institutis, nobis denegare licet, aliquo tali spasmo hos tubos constringi potuisse. Ferro thorace canis recluso, satis apparebat, nullo stimulo, utcunque insigni, aut mechanicho, aut chemico, ad sese contrahendas bronchias induci posse: neque a tali crudelitate multum angoris animal experire videbatur.

Opinionem, ideò, non satis benè stabilitam, cui morbi theoria inniti posset, alteri et meliori, scilicet Doctoris MONRO, locum dare, necesse est. Hic noster Professor canis gutter prope laryngem, stimulando, aut comprimendo, symptomata paroxysmum asthmaticum referentia, induci inveniebat. Alii, experimenta naturæ similis, omniaque ad Doctoris opinionem confirmandam tendentia, instituêre.

Sed si hæc theoria, verisimilis quidem utì apparet, ad phænomenorum rationem reddendam satis foret: bronchotomia, paulò infra laryngem, animali, angores ex his partibus, inter

experimenta

experimenta irritatis, patienti, levamen afferret. Rem autem sese ita habere, mihi planè perspicuum non videtur.

Paroxysmi, laryngem irritando inducti, ex meâ sententiâ, iisdem principiis, quibus, ad ejus contenta evacuanda, faucium irritatione, excitatur ventriculus, ratio reddi potest. Causæ, in pectus ipsum agentes, æquè ac in laryngem, paroxysmum, sine dubio, excitabunt; quales sunt ligaturæ, epispastica, ventriculus supra modum plenus, &c. Hæc igitur theoria, per seipsum, ad symptomatum rationem reddendam, non satis idonea videtur.

Totius thoracis spastica rigiditas, lateris et in diaphragmatis regione dolor, post paroxysmum violentum, perceptus, musculorum omnium, respirationi inservientium, affectionis generalis notioni favere videntur. Willisius, de hac re disserens, ita loquitur: "Asthma convulsivum non uni loco, aut peculiari cuipiam organo, limitatur, sed valdè diffusè, ad partes ferè omnes respirationi dicatas, extenditur."

tenditur." Sed utrum in his spasmus generalis sympathiæ effectus sit, aut œconomiæ animalis legi debeatur, quâ, ad injuriam repellendam, vel sese ab rebus extraneis liberandam, utì suspicatur Doctor BREE, corporis energiæ excitantur, judicent periti. Res quædam existunt, quæ asthmatici hujus ingeniosi opinioni favent, ut noster Professor eximus GREGORIUS, putare videtur; mucus enim in asthmate excreatus, sæpè tam viscidus est, ut eum per seipsum, ad respirationis difficultatem inducendam, satis fore quivis suspicaretur; hic autem effectus per eum excitatur, ex eo quod pulmones oneret, et ita plenam eorum per aërem expansionem cohibeat: et sine dubio, ut Doctor ait, hunc effectum inducit.

PROGNOSIS.

HIC morbus, per seipsum, et cum aliis non conjunctus, quoad sequelas ejus proximas, usitatissimè periculi immunis est. A medicis tamen,

men, ut malum incurabile diu existimatum fuit. Sed ex multis documentis, nunc in morborum annalibus inspiciendis, causæ quædam sperandi, nobis suppetunt, effectus ejus lethales, in plurimis exemplis, evitari posse. Si ad intermissiones parùm attendatur, et paroxysmi, quoties applicentur causæ excitantes, supervenire permittantur, donec talis in systemate inducitur habitus, ut ad morbum debellandum, omnia nostra remedia irrita fiunt; tunc equidem, in genere, lethalis evadit, alios morbos graviores, seque pejores, inducendo.

Si æger noster juvenis sit, viresque haud fractæ, nullam causam, cur curam perfectam non expectaremus, video, dummodo causis externis inductus fuit morbus. Quando labem hæreditariam suspicandi nobis causa est; vel, ubi conformatio prava adest, equidem, nihil ampliùs perfici potest, nisi, ut, inter paroxysmum, angorem levemus; et causas excitantes *evitando*, paroxysmum, quamdiu fieri possit, differamus.

Quò

Quò diutiùs morbus perstiterit, eò curatu difficilior, eventusque ejus incertior. Si radices profundas agere permittitur, inter crescendum roboratur, et quasi constitutionalis fit.

CURATIO.

Ad hunc morbum curandum, indicationes duæ curativæ absolvendæ sunt: *prima* paroxysmo quamprimum finem imponit: *secunda* intermissiones in longum protrahit, et, si fieri possit, paroxysmorum *recursui* occurret.

Sanguinis missio.—Etsi hoc sit remedium quod solatium instanter præbere nunquam fallit, attamen periculosum est, et cui nequaquam confugiatur, nisi, pro re urgenti, ægroque juniore, sanguinis pleno, vultuque florido, vel cùm sanguinis per pulmones transmissio ita difficilis sit, (quæ vasorum capitis turgiditate indicatur), ut suffocatio timeatur, venæsectio usurpanda est; tum ad eam quàm ad

apoplexiam

apoplexiam prævertendam; sed haud sæpè repetenda, ne debilitatem inducat, et symptomatum recursui, quæ ex nimiâ abundantiâ sanguinis ortum duxerunt, faveat.

Emetica.—Quando paroxysmi appropinquantis monitus fuerit asthmaticus, emeticum satis maturè sumptum, ut antequam paroxysmus invadat, operetur, eum differat; vel, si inceperit, decurtet; præcipuè, si ex quâvis materiâ indigestâ in ventriculo, flatu, &c. ortus fuerit.

Dr Bree in dosibus nauseantibus hæc plurimùm laudat; ab pulmonibus ad corporis superficiem sanguinem determinant: absorbentia excitant; quod, indicationi ejus, seri nempè effusi, ab pulmonum vesiculis absorptioni præcipuè respondet. Vicibus expectorantium etiam funguntur. Præter hoc, nonne *catenationem* morbidam interrumpere, et paroxysmum omninò differre, paulò ante accessionem ejus deglutita possent? Sed, his remediis, æquè ac priori, neque nimis diu, nec sæpiùs insisten-

 dum

dum est. Ventriculi energiam labefactant; concoquendi facultatem minuunt; sic tandem, dyspepsiam, cum omnibus malis ejus comitantibus, quibus ut occurrant, primùm adhibita sunt, inducunt.

Vesicatoria,—tam strenuè indicata, tamque in omnibus pulmonum affectionibus utilia, a solertissimis medicis, vel ad paroxysmum decurtandum, aut levandum, parùm inservire existimantur. Bree ait, se videre effectus optimos ab fonticulis induci, pro prophylaxi, ad genua insertis, in exemplis hydrope generali constipatis: attamen non sine maximâ cautione in tali statu ea adhiberem; quoniam pro certo scimus, ulcuscula, cujusvis generis, ad gangrænam inducendam, ubicunque adsit diathesis hydropica, tendere.

Antispasmodica.—Hujus classis medicamentorum plurima ad asthmatis paroxysmum decurtandum usurpata sunt. Ad opium, ætherem sulphuricum, et assafœtidam, nunc temporis,

ris, præcipuè confugitur. Asthmatico maximo usui sunt opiata, et ægrum pro tempore levare raró fallunt. Cavendum est attamen, ne, diathesi inflammatoriâ prævalente, adhibeantur.

Æther sulphuricus, vel per seipsum, vel cum opio conjunctus, effectus gratissimos vulgò habet, in dosibus frequentibus.

Assæfœtidæ solutio, ægri *Alexandri Hutchinson*, sub nostri GREGORII curâ, paroxysmum repellere nunquam fefellit. Moschi gr. xv. eundem effectum habuerunt.

Scilla maritima, pro expectorante adhibita, magno in usu fuit. Effectus ejus salutares expertus est FLOYERUS, cum aceto conjunctæ: sibi maximo usui fuisse ait. Hoc medicamentum plurimùm inservire etiam expertus est Doctor BREE, præcipuè in specie suâ asthmatis primâ, seri in pulmones effusi. Sub initium accessûs, ait Doctor, optimè respondit; et tunc, equidem eâ proportione quâ, nauseam sine diarrhœa comitante inducat, et absorptionem forsan promoveat.

Nobis

Nobis jam considerandi veniunt modi, qui ad indicationem *secundam* absolvendam, viz. *ad intermissiones protrahendas, et, si fieri possit, ad paroxysmo omninò occurrendum, optimè aptati sunt.* Omnes causæ excitantes idcircò sedulò evitandæ sunt; aliter medici conamina, irrita futura sint. Qualis diæta, quodve cœlum, ægro maximè salutares et consentaneum sit, usus eum docebit. Ex cibo animali tenero, concoctu facili, sed satis nutriente, præcipuè, si senescit æger, diæta optimè confecta foret. Quodcunque in ventriculo inflationem procreet, evitaretur. Pro potu communi aqua pura benè inservit; contra debilitatem inductam, morbo diu continuato, liquor aliquis generosus, utì vinum, &c. necessarius est. Whytt, cum cibo nutriente, vini cyathos paucos omni die sumendos, monet. Ab omnibus liquoribus fermentatis abstinendum est. Thea, et talia, præcipuè calida, cùm dyspepsiam producunt, sunt evitanda. Carnis cœnæ, cane pejus et angue, præcavendæ sunt. Exercitium

tium modicum, speciatim equitatione, non omittetur.

Tandem ad partem ultimam dissertationis nostræ tractandam, jam perventum est; scilicet, *remedia* ad intentionem secundam absolvendam inservientia. Imprimis,—

Balneum frigidum—remedium probè intermissionibus aptari videtur; imò, inter ipsum asthmatis paroxysmum, usurpatum fuit; sed vi arteriosâ minutâ, vultu pallido, extremitatibus frigidis, indicatâ, medicus apprimè audax necessariò esset, qui, eo uti, rebus sese ita habentibus, auderet. In exemplis plurimis a Doctore Ryan adhibebatur; et in multis, morbum perfectè eliminavit; omnibus levamen attulit; sub mali initio, ad hoc remedium confugiatur necesse est, antequam saltem consuetudine, in corpore confirmatum fuerit.

Digitalis.—A nonnullis sine beneficio minimo usurpata fuit; alii, nihilominùs, utì Doctores Percival et Ferriar, &c. hoc medicamentum mira effecisse, experti sunt.

Hic

Hic morbus tam sæpè complicatur cum hydrope, ut medici hi accuratissimi decipi possint. Nonne igitur evenire posset, utì circa effectus hujus remedii, tam hydrothoraci, quocum asthma sæpissimè confunditur, aptati, fallantur? HOFFMANNUS ait, "In statu cachectico, cui jungitur asthma, magnam ferre opem deprehenduntur *diuretica*." Sed hic est ipse status verus, in quo semper apparet hydrops. Sub HOMEI nostri accuratissimi curâ, anno proximè præterito, exemplum penè manifestum nobis oblatum fuit, in quo, utì tunc temporis res sese habuêre, hujus remedii, virtutis summæ, in morbo nostro curando, testimonium insigne habuimus. *Johannes Brown*, asthmate spasmodico gravi, sed recenti, laborans, cui, quantùm mihi a seipse intelligere licuit, labem hæreditarem aut hydropem, inesse, suspicandi nulla causa fuit. Digitalem sumpsit, recuperatur, et post aliquot septimanas, sine ullâ aliâ accessione morbi, a Nosocomio refectus et sanatus decessit.

Cinchona.

Cinchona.—Quoniam hic morbus frequentissimè catarrho, aut forsan aliquâ viscerum obstructione, stipatur, plus judicii desiderat, ad ægrum sanandum; his debellatis, tunc temporis, sed non priùs, ad cinchonam confugeret æger. Doctor Bree ex carbonate ferri cum cinchonâ conjuncto, optimos effectus obtinuit. Præparatis ex ferro valdè favet ille asthmaticus, quorum formulas, et simplices, et compositas cum aliis medicinis, multas nitidas in libro suo descripsit. Quando calor et dolor ex hujus medicamenti usu orti sunt, (nempè ferri), opiatis et haustibus salinis usus est. Amara et aromatica, ad ventriculum roborandum, usurpari deberent. Magnesia et carbonas calcis ad aciditatem corrigendam, et dyspepsiam depellendam. Etsi purgativa drastica in hoc morbo plurimùm nocent, vel ut prophylactica, vel ad paroxysmum decurtandum, adhibita, quoniam ab consensu, quem intercedere inter intestina, pulmones, et respirationis musculos pro certo novimus; (omnes hæ partes, enim, stimulis ad intestina applica-

tis,

tis, unà simul agere inducantur), attamen omninò necessarium est, intestina soluta laxantibus lenibus servare. Huic proposito, doses refractæ rhei palmati, magnesiæ, tamarindorum cum sennâ, et similium, optimè aptantur. His mediis quotidiè, et assiduè, usurpatis, mali horrendi accessionibus liberati sunt, et ad sanitatem perfectam et animi hilaritatem gratam restituti fuerunt plurimi.

FINIS.